

Magistratus decreto. Confiat autem Inventarium coram Notario & Testibus: deinde cautionem præstabit vel sub hypotheca omnium bonorum, vel datis fidejussoribus, addito corporali Juramento, curaturos se, ut persona pupilli in educatione cæterisque rectè prospiciatur, bona fideliter administrantur, rationes singulis annis reddantur: finita tutelâ bona restituantur. Idem Curatores præstabit. f. 351. n. 259.

Hinc convenit Pupillo & Minori multiplex actio. Actio tutela, (de qua plura infra) & actio ex stipulatu, rem pupilli salvam fore, & actio hypothecaria ex tacita hypotheca. Contra Fidejussores actio ex stipulatu. Denique Actio subsidiaria contra eos, qui non curarunt satisfari à tutoribus. f. eod. n. 261.

Satisfactio non purgat vitium suspitionis, quin suspectus à tutela removendus sit, nisi esset persona talis, cuius promotio plus incommodare posset pupillo, quam prodesse. f. 352. n. 262.

Suspectus habetur, qui non ex fide tutelam gerit, et si solvendo sit: si ex moribus periculum imminet: si dolose aut negligenter cunctetur. Si mentiar defectum alimemorum: si se subdat: quo casu sit inimicus in bona tutoris. f. eod. n. 263.

Suspectum accusare potest quisvis de populo, exceptis ipsis impuberibus. Puberes possunt Curatores accusare ex consilio consanguineorum. num. 264. Dum accusatio pendet, interdicitur administratio. f. 393. n. 265.

Tutor & Curator præstant culpâ levem: hæredes tamen non tenentur de culpa levi, sed solvant de lata. eod. Excipitur tamen unus casus, quo Tutor de levi culpa non tenetur, nempe si Tutor negligens fuit in rationibus exigendis à Debitoribus pupilli, & illi interitum deficiunt esse solvendo, tunc solum de lata culpa tenetur. f. 361. n. 302.

De dolo accusatus & convictus, & à tutela remotus, sit infamis. f. 355. n. 266.

Tutelæ excusationes.

Excusatur quis à suscipienda tutelâ, allegando justam causam, liberationis ab onere tutelæ. f. 354. n. 267. Quoad tempus interponenda excusationis consuetudo locorum observanda. Qui plures causas habet, omnibus uti potest. 268.

Causæ autem excusantes enumerantur quindecim. 1. Est numerus propriorum liberorum. Jure Bavarico quinque liberi requiruntur Legitimi & naturales h. e. non adoptivi, superstites nati. Nepotes loco patris mortui pro una persona numerantur. Religionem ingressi non profunt. Vulneratus in acie, & inde mortuus, non minus quam si in acie occubisset, prodest. f. 354. n. 270. 2. Causa est administratio rerum fiscalium, excusans à tutelâ suscipienda, non à suscepta. n. 271. 3. Est absentia Reipublicæ causa. 272. 4. Magistratus seu potestas excusans à suscipienda. f. 355. n. 274. 5. Lis cum pupillo. 275. 6. Trium tutelarum vel Curatellarum onus. 276. 7. Paupertas Tutoris aut Curatoris. eod. 8. Morbus, de quo Judex arbitra-

bitur. 277. 9. Litterarum ignorantia. 278. 10. Inimicitia. f. 356. n. 279. 11. Qui passus est Statu controversiam à patre pupilli. eod. 12. Aetas 70. annorum. 279. 13. Grammatici, Rhetores, Medici. Non item Juriste. 281. 14. Disparitas status. 282. Qui tutelam gessit, excusatur ab ejus curatela. 283.

Recusans tutelam non potest consequi Legatum. f. 356. n. 284.

Tutorum Auctoritas & Administratio.

Pupillus sine Tutoris auctoritate potest conditionem suam meliorem facere, & sibi stipulando, non deteriorem. potest ergo alium sibi obligare, quin illi obligetur. f. 357. n. 288.

Sine Tutoris auctoritate non potest pupillus hæreditatem adire, nec hæreditatem ex fideicommissio suscipere, nec bonorum possessionem petere. f. eod. n. 288. nisi Prætoris auctoritas suppleat defectum tutoris. f. 358. n. 289.

Tutor in ipso negotio debet præfens auctor fieri: post tempus, aut per nuntium non potest. f. eod. n. 290. imò probabiliter sufficit, si adiu statim superveniens in continentem suam auctoritatem interponat. 291.

Quando inter ipsum Tutorem & Pupillum negotium geritur, aliquis Curator ad actum constituendus est. f. eod. n. 293. nisi in tali actu tutor potius gereret negotium pupilli, quam cum pupillo. v. g. si pater pupilli fuisset Debitor tutoris, possit Tutor sibi solvere ex bonis pupilli hæresis. Unde, quoties Tutor duplicem personam gerit, Tutoris & Creditoris, non præstat pupillo auctoritatem, sed administrat bona illius, & agit pupilli nomine. n. 294.

Tutor & Curator factio Inventario, & præstito juramento, (de quo supra) & factâ promissione de defendendo pupillo, immiscebit se administrationi, ad quam primò spectat, ut pupillus secundum suam conditionem instruat, ex fructibus alatur, res pupilli conserventur, exigatur debita &c. alienanda alienentur, & quicquam immobilia Judicis decreto. Idem de Curatoribus dicendum. f. 359. n. 295.

Ubi educandus sit pupillus, locorum Statuta aut consuetudo attendenda, quæ plerumque est, ut committatur educatio Matri, imò etiam Vitrico. h. 296.

Causæ Legitimæ alienandi Bona immobilia, sunt: æs alienum aliter non expungibile: alimentorum necessitas: liberatio ex periculo: dotatio fororis pauperis, ex eodem patre nata; Alimentatio uterina pauperis: Denique si testator alienari iusserit, quo casu nec Judicis decreto opus est. f. 359. n. 297.

Enam post adeptam pubertatem Tutor negotiis pupillaribus assistere jubetur, donec Rationibus redditus in Curatorem administrationem omnem transfulerit, si quidem Curator dandus sit, qui invito non datur de Jure communi. fol. 360. n. 298.

In Ger-

In Germania consuetudo est, ut Tutor maneat Curator usque ad annum Majoritatis. Jure Bavarico cogitur ad Curatela, nisi excusetur. fol. 361. n. 299.

Tutelæ actio.

Pupillo convenit Actio directâ, quæ est personalis, bonæ fidei adversus tutorem, ut administrationis suæ rationem reddat, & quidquid ex bonis retinet, restituat. fol. 361. n. 302.

Si ex pecunia pupilli tutor prædium sibi comparavit, erit in arbitrio pupilli, vel prædium sibi vindicare, vel pretium repetere unâ cum usuris. fol. eod. n. 303.

Si plures fuerint Tutores, & inter illos divisâ administratio à Juce vel testatore, non potest quis in solidum conveniri, sed pro rata parte suæ administrationis: si verò ipsorum conventionione divisâ est, potest quis in solidum conveniri. fol. eod. n. 304. Si non est divisâ administratio, datur minori electio contra quem agat, cedendo illi actiones contra contutores. Si unus solus tutelam gessit, is primò conveniendus, eo deficiente cæteri. 305. Jure Bavarico, si unus Tutorum negligentiam alterius non correxerit, non gaudet beneficio excussionis alterius. Si plures fuerint quam duo, valet, quod à majore parte gestum est, si duo unus sine altero nihil agit. eod.

Datur etiam Minori Actio de Rationibus tutelæ distrahendis, id est, de controversiâ illarum rerum quæ per tutorem subtrahantur à rationibus redditus: datur in duplum rei ablatae, cui simplum inest, cumularique potest cum actione facti: sed actio tutelæ quoad hæc speciem cessat. fol. 362. n. 306. Est perpetua, sed contra hæredes non datur, nisi lite contestatâ. eod.

Actio Tutelæ semel finitæ, si species aliqua omissa fuit, adhuc locum habet ad eam speciem reperendam. fol. eod. n. 308.

Actione ex stipulatu, non solum Tutores, sed etiam Fidejussores ex tempore moræ à tutore factæ in Restituendo de fructibus & usuris conveniri possunt. fol. 363. n. 312. De actione subsidiaria dictum est supra. n. 261.

Tutori adversus pupillum datur actio Tutelæ contraria, quæ petit, ut sumptus in rem ejus factos, & quidquid ratione administrationis sibi abest, recuperet. quæ actio datur etiam hæredi, item illi qui pro tutore negotia gessit. Jure Bavarico tenentur pupilli pro quantitate patrimonij & laborum, Tutori, finita tutelâ, honorarium dare, alioquin per Magistratum decernendum. fol. 363. n. 313.

V.

Vagabundus.

Quorum locorum legibus teneatur, vide, Lex. Tomo 6.

Vagabundus delinquens, ubicunque deprehendi-

Christ. Ham. Repert.

ditur, à Juce illius loci judicari potest. f. 14. n. 61. Si tamen à Juce loci ubi deliquit peteretur, illi mittendus esset. n. 62.

Vellejanum Senatusconsultum.

Tomus 3.

Jure Codicis, si mulier pro alio fidejubeat, non confecto publicè Instrumento à tribus testibus signato, fidejussio adeo nullius est valoris, ut nec civilis nec naturalis obligatio nascatur: & ideo tunc mulier non habet opus auxilio Senatusconsulti Vell. Observatis verò dictis Solennitatibus datur quidè Creditori actio, mulier verò se defendere potest opponendo exceptionem ex dicto Senatusconsulto, & ab obligatione liberari. fol. 111. num. 116.

Hujus Beneficij concedendi duplex causa refertur in Jure. 1. Quod fidejuberè decessit potius viros: Altera, quod mulierum imprudentia & levitati consulatur. f. 112. n. 117.

Fidejussio pro marito facta, quantumvis solemnizata, non tenet, nisi manifestè probetur, pecunias creditas in propriam mulieris utilitatem expensas esse. In Germania receptum est, ut uxores Mercatorum quasi sociæ pro maritis teneantur. Jure Bavarico uxor pro marito fidejubens non aliter obligatur, quam si ab ea, absente marito, certiorata renuntiatione Auth. adfectæ. eod. ubi vidè discrimen inter Nobiles & Cives.

Juvarur hoc Beneficio mulier, etiam si non se personaliter obliget, sed det pignora. f. 112. n. 118. Gaudet eodem, quando maritus ex ejus consensu oppignorat bona uxoris. eod. Item si consentiat ut res sibi oppignorate alteri obligentur. fol. eod. num. 119. Item quando alterius obligationem animo novandi, alterumque penitus liberandi, in se transferre vult. eod. Item quando statim ab initio alterius obligationem, quæ gravaretur, vellet in se recipere. f. 113. num. 120.

Quando mulier fidejubendo velle alium callidè decipere, non juvarur hoc beneficio: juvarur tamen, si colludendo cum creditore non decipendi animo, sed in fraudem legis callidè fidejuberet. fol. eod. n. 121.

Non juvarur hoc beneficio, si pro alio solveret seclusâ omni obligatione, vel si remitteret jus pignoris in favorem Tertij, quia hæc non esset fidejussio, cum nullam obligationem pro alio subiret. f. 114. n. 122.

Item, non juvarur, si emens hæreditatem obligaret se Creditoribus hæreditariis, vel si pro suo fidejussore fidejuberet. fol. eod. n. 123.

Neque juvarur mulier promittens alteri, quod ipsum velit indemnem servare adversus alium, qui eum convenire possit; hoc enim non est subire obligationem pro alio, nec interveniunt tres persone, ut ad fidejussorem requiritur. f. 115. n. 124.

H h

Si

Si mulier cum aliquo extraneo, ut correo, fideiuberet, non iuraretur SCTo. quia præsumeretur pecuniam saltem quoad partem in utilitatem mulieris versam esse. Contrarium præsumeretur, si cum marito concurreret, & tunc esset locus SCTo. fol. 117. n. 125.

Non iuraretur SCTo. uxori intercedens pro marito incarcerato ex causa criminali sub onere præstandæ satisfationis obtentâ liberatione, nec alio fideiussore invento. eod.

Beneficij hujus effectus transit ad hæredes. f. 116. num. 126.

Prodest hoc beneficium etiam Fideiussoribus indemnitate pro muliere, etiam si sibi præcluderent regressum adversus mulierem. Idem est, si fideiussor quis esset non quidem mulieris, sed debitoris principalis, accepto tamen à muliere mandato, & sciente creditore, nam hoc ignorante, exceptione doli repelleretur. eod.

Si mulier per errorem solvisset, quod fideiussit, possit solum ex hoc SCTo. repetere: imò Creditor ob nullitatem solutionis teneretur in conscientia etiam non repenti restituere, quando mulier sine debitis solennitatibus fideiussit. f. 116. n. 127.

In casu, quo mulier per Novationem extingueret actionem Creditoris adversus Debitorem principalem, succurritur Creditori concessâ illi actionem Restitutoriam, seu Rescissoria, quâ rescinditur intercessio mulieris, epulque persona subducitur. Quod si mulier statim ab initio in se obligationem alterius recepisset, datur Creditori actio Instructoria. Quin imò, si is, pro quo, modo prædicto, mulier se obligavit, sua bona mulieri pro illius indemnitate oppignorasset, recurrente muliere ad SCTum. non solum Instructoria actio competeret Creditori, sed etiam actio hypothecaria in ipsam à muliere transferretur, perinde ac si mulier illam cessisset. fol. 117. n. 128.

Si mulier velit pro Debitore iudicium accipere, potest impedire actionem Restitutoriam. fol. eod. n. 129. Datur actio Restitutoria Creditori contra omnes, qui liberati sunt. si sint plures Correi seu Creditores, illi soli restituitur actio & obligatio, apud quem mulier intercessit. eod.

Restitutoria actio, quoad durationis tempus metienda est, sicut illa, quæ perempta est, ita tamen, ut si actio non sit perpetua, tempus residuum compleatur post factam restitutionem, adeoque temporis intermedij inter fideiussionem & restitutionem nulla sit consideratio. f. 118. n. 130.

Si mulier apud Creditorem minorennem fideiubeat, hoc SCTo. non defenditur, sed replicatio ne Restitutoris in integrum eliditur, casu quo principalis Debitor non est solvendo. f. 118. n. 131. Nec etiam iuratur mulier, si expromittat apud dominum, ut manumittat servum, pro pretio libertatis in pactum deducto. eod.

Cessat etiam hoc beneficium in muliere majoræ, dotis favore. quod tamen probabiliter solum procedit, si dos sit constituta ante Matrimonium contractum. eod. Non est extendendum ad donationem propter nuptias. eod.

Mulier volens decipere Creditorem fideiubendo, non gaudet beneficio SCTi. fol. 119. num. 133. Neque gaudet, si pretium iustum pro fideiussione & ejus periculo accepit. num. 134.

Neque gaudet hoc SCTo. mulier, si post factam fideiussionem in integro biennio à prima obligatione elapso pigus dedit, aut obligationem factam ratificavit, exceptâ fideiussione pro marito, & etiam illâ, quæ aliunde ex alio capite nulla fuisset. eod.

Potest mulier Jure Bavarico renuntiare beneficio SCTi. Vell. De Jure communi (est usus contrarium habeat) non potest nisi in duobus casibus. 1. Si velit gerere tutelam. 2. Quando parata est pro alio iudicium accipere, insidiando eum esse debitorem. f. 120. n. 136.

Ut Renuntiatio juramento firmetur, necesse est, eam fieri à sciente se habere hoc beneficium, ita ut juramentum cadat supra ipsum beneficium. f. 121. num. 138.

Venatio.

Tomo 1.

Jus venandi occupativè est Jus persequendi animalia, quæ terrâ, mari, celo capiuntur, & nullius sunt, jure naturali permittuntur, vel legitimo titulo acquisitum. f. 410. n. 61. Dividitur in tres species, in Venationem specie dictam, Piscationem, & Aucupium. n. 62.

Fera capta etiam in alieno fundo sit capientis, nec capiens tenetur ad ullam aliam restitutionem, nisi si quod aliud damnum venando intulerit. num. 62.

Fera recuperans naturalem libertatem, definit esse in dominio, quod etiam de cunctis procedit, si consuetudinem redeundi amittant, non item de naturaliter mansuetis. eod.

Inter feras liberas numerantur etiam pisces in stagno, (non itè in piscina) & fera in sylva quantumvis circumseptâ, non item in vivario. fol. 411. n. 63.

Fera vulnerata ita ut non possit evadere potestatem vulnerantis, est vulnerantis. Jure Bavarico licitum est feram persequi vulneratam in planitie per duos dies, per montes tribus diebus. n. 65.

Si laqueus positus est in loco publico, ubi cuiusvis licitum est ponere, tunc fera non potens amplius se extricare, est ponentis laqueum, si vero in loco privato in vito domino, potest dominus loci, non solum feram captam, sed etiam instrumentum tanquam caducum retinere. feod. n. 69.

Pisces ex stagno capti, Jure novo videntur ad dominum stagni pertinere, & qui ex stagno sine licentia

licentia piscantur, instar furum puniuntur. f. 412. num. 72.

Principes habent justas causas prohibendi privatis venationes. f. 413. num. 73. Non possunt tamen prohibere subditis, ne fructibus defendendis arceant feras. n. 76.

Quandoque, nec tamen semper, obligat Princeps subditos ex justitia, ad non jaculandas, aut capiendas feras. feod. num. 78. Quando Princeps alicui Magnati applicaret jus venandi, & in ejus gratiam alij prohiberet, probabilis est, alios ex justitia obligari ad abstinentiam. n. 79.

Princeps tenetur resarcire damnâ subditis, si que à patitur ex venationis reservatione, vel ferarum multiplicatione exorbitante. n. eod.

Fetipeda pro qualitate & frequentia delicti possunt varijs penis affici, adeo ut denique abscissione manuum, vel etiam ultimo supplicio puniri possint. fol. 414. num. 80. ubi refertur Consilium Nicolai Everhardi.

Vix Servitus.

Tomo 1.

Est Jus Eundi, Agendi, & Ambulandi. Quamvis videatur legendum: *Fehundi*: ut comprehendatur differentia *Vix* ab *Adu*. Includit plerumque Jus trahendi lapidem, vel trabem, ferendi hastam vel vexillum erectum, salvis fructibus pendentiibus. f. 251. num. 182.

Qui Viam habet, Iter & Actum habet. Latitudo in porrectum octo pedes habet, in anfractum sexdecim. fol. eod. num. 183.

Non multiplicatur secundum fundorum servitium numerum. multiplicatur tamen, si sint diversa prædia dominantia, vel diversi domini. fol. eod. n. 184.

Vitæ futuræ æstimatio.

Tomo 1.

Vita futura ab Ulpiano sic æstimatur. Si persona est intra 20. annum, censetur adhuc victura 30. cuiuscunque anni sit: si intra vigesimum & vigesimum quintum, censetur victura 28. si intra 25. & 30. adhuc viginti quinque. si intra 35. & 40. adhuc 20. si intra 40. & 50. tot annorum computatio fiet, quot ætati ejus ad annum 60. deerit, remisso uno anno. si intra 50. & 55. annorum 9, si intra 55. & 60. annorum 7. si ultra 60. annorum 5. f. 195. num. 666.

Vitalium.

Tomo 3.

Vitalium est, quando Prædium, aliæ res immobilis, vel æquivalenter talis, conceditur ad vitam unius vel alterius conjugum, eâ lege, ut certum quid singulis annis de ejusmodi vitalitio solvatur. Germanicè *Leibgebig*, f. 244. n. 580.

Christ. Haun. Reperi.

Vitium.

Quomodo Vitium differat à Morbo in re vendita, vide, *Morbis*.

Voluntas ultima.

Tomo 2.

In genere est Gratuita Dispositio de bonis in tempus mortis, seu post mortem disponentis. Comprehendit Testamentum, Co. testium, Substitutiones, Legatum, Donationem mortis causâ. Differt ab alijs pactis, quod fiat primum per mortem irrevocabilis. fol. 2. n. 5.

Voluntates ultimæ sunt instar desiderij potius quam Imperij ex sua natura efficacis. sunt autem efficaces per legis ratificationem. f. 3. n. 15.

Ultima Voluntas Innominata, secundum graves DD. plus non requirit ad valorem, quam Indicia Defuncti. Et ideo putant, ex hac ultima voluntate agi posse, quando non adfuit solennitates Testamenti. Sed non satis fundata videtur hæc Sententia. f. 10. n. 43.

In ultimatum Voluntatum commutatione præ oculis habendum Decretum Concilij Trid. sess. 22. c. 6. non esse sine necessaria causa commutandas: deinde Episcopis summariè & extrajudicialiter cognoscendum, an præces sint subreptitiæ aut obreptitiæ. f. 244. n. 347.

Vfucapio. Vfurpatio.

Tomo 1.

Vfucapionis verbum non solum rebus mobilibus, sed etiam immobilibus aptatur. f. 427. n. 155.

Vfucapio strictè accepta, est ipsa formalis acquisitio Dominij, seu Dominium *in fieri*, fundans Exceptionem præscriptionis, quamvis communiter cum Præscriptione confundatur. eod. & seqq.

Vfucapioni opponitur Vfurpatio quæ est Vfurcationis interruptio per actum contrarium. f. 428. n. 158. Cætera vide v. Præscriptio.

Plura vide Præscriptio.

Tomo 3.

Vfura non solum Jure positivo, sed etiam Jure naturæ prohibita est, accepta in sensu theologico, nempe quando in pactum deditur, ut pro mutuo dato solvatur aliquid ultra sortem, sedulsi titulis excusantibus excessum. f. 192. n. 367. & seqq. ubi ratio à priori redditur, quæ fundamentaliter in eo consistit, (explosis aliorum subtilitatibus) quod utilitas pecuniæ quæ talis, non sit nisi pro unico actu quo distrahitur, reliquo tempore, quo otiosa detinetur, nullam afferat utilitatem pretio æstimabilem, ergo ex diversitate temporis, quo quis possidet, & alter non possidet, si supponamus nullum

H h 2 cessare

cessare lucrum, nullum emergere damnum, nec imminere periculum mutuanti, nec pro bono publico expedire habere faciles mutantes per licentiam accipiendi aliquid ultra fortem, non habetur titulus exigendi aliquid ultra fortem. f. 194. num. 377.

Beneficium Mutui consistit in hoc, quod succurratur indigenti tempore opportuno, nec hoc beneficium augetur ex eo capite, quod fiat potestas detinendi diutius pecuniam otiosam. f. eod. num. 378. & seqq.

Triplex genus Usurarum reperitur. 1. Usura Lucrativa. 2. Punitoria. 3. Compensatoria. f. 195. n. 382.

Nullo Juris textu ostenditur, approbatas, vel etiam permissas fuisse à Jure Usuras Lucrativas, sed solas Morosas & penales, quæ aliud non sunt, quam illud Interesse, quod hodiernis motibus solvitur ex usu communi. f. 195. n. 385.

Titulus primus exigendi aliquid ultra fortem est damnum emergens, nempe jactura eorum, quæ mutuans jam habebat, proveniens ex dato mutuo, & mutuatarij mora. f. 196. n. 386.

Interesse damni emergentis absque vitio usuræ in pactum deducitur, etiam si Mutuatarius non sit in mora Juridicè loquendo. Tenetur tamen mutuans monere debitorem de damno imminente, ut vel abstineat à mutuo, vel tempestivè ante damni eventum restituat. f. 196. n. 387.

Quando mutuans cogitur ad mutuandum, seu vi, seu metu etiam justo, potest postmodum exigere interesse damni emergentis, etiam si nihil de hoc pactus esset, quia subintelligeretur. f. eod. n. 388. Potest attem hoc pactum fieri non solum conditionatè, si eveniat damnum, sed etiam absolute statuendo rationabilem quantitatem, ob periculum damni fortè eventuri, fortunæ committendo, quale futurum sit. n. 389.

Non esset usura, accipere tale auctuarium, etiam si exteriùs non expressisset, se id accipere intuitu periculi, dummodo in animo periculum respexisset. f. 197. n. 390.

Non tenetur Mutuatarius refarcire damnum, si quod evenit eo tempore quo non tenebatur restituere, si nullum pactum intervenit. f. eod. n. 391.

Secundus titulus accipiendi aliquid ultra fortem est Lucrum cessans licitum, nempe illud incrementum patrimonij, quod obtinere potuisset, si pecuniam mutuo datam debito tempore recepisset, & hoc potest licitè in pactum deduci, ut ultra fortem solvatur. f. 198. n. 393.

Potest etiam fieri pactum de solvendo lucro cessante, antequam debitor moram committat, quando adest probabilis spes lucri alioquin faciendi, si non daretur mutuum. f. eod. n. 397. Item potest in pactum deduci, ut solvatur certum, pro lucro certo cessante. f. 199. n. 398.

T.

Ut pro lucro cessante aliquid exigi possit, aut in pactum deduci, ut totum compensetur, debet reverà Mutui fuisse causa illius cessationis, & quidem æquata, ita ut alioquin non cessasset. f. 199. n. 399.

Non obstat hujusmodi pacto vel exactioni, etiam si habet aliam pecuniam otiosam, cum qua negotiari posset, si vellet ex certo sine habere otiosam, ut servire posset in casu non pravifos. f. eod. nu. 400. Imò posset mutans hujusmodi compensationem exigere, si pecuniam ideo otiosam asserere solet, ut haberet paratam ad mutuandum exigentibus, quia mutuum futurum est causi finalis cessationis lucri. n. 401. In exigenda hujusmodi compensatione, attendi debet proportio ad spem, & probabilitatem lucri futuri. eod.

Ut in exigenda solutione pro lucro cessante debita servetur æqualitas, debet à mutante remitti aliquid boni viri arbitrio intuitu periculi, si quod est probabile non solum lucri fortè non faciendi quod speratur, sed etiam ipsius fortis fortè amittende in negotiatione, si ad eam exponeretur. f. 200. n. 403. Ad tranquillandam conscientiam serviet, si mutuans non exigat, id quod bonè dicitur putaret nec à se exigendum esse, si ipse in talibus circumstantijs esset Mutuatarius. eod.

Tertius titulus exigendi aliquid ultra fortem est Pœna conventionalis, quæ differt à Pacto ad Interesse. 1. Quod illa non habeat locum, nisi supposita culpa commissa per moram. 2. Quod sit solvenda, postquam constituit, etiam si nullum sit periculum damni emergentis, aut lucri cessantis. f. 201. n. 405. Jure naturæ spectato non minus potest in mutuo quam in alijs contractibus pœna conventionalis apponi. n. 406. Neque Jure positivo videntur hujusmodi pœnae univèrsim prohibite, sed solum immoderate, & excedentes taxam consuetam. n. 407. Tenetur morosus debitor eam solvere ante Judicis sententiam, non tamen ante Creditoris exactionem. n. 408.

Quartus titulus assignari solitus est periculum fortis non recipiende. f. 201. n. 409. Quod si Mutuatarius vellet alijs modis assecurare mutuantem, v. g. dando pignora vel fidejussores, non posset aliquid exigi ex hoc titulo. Quod si vero nolit aut non possit assecurare, potest absque usura habere aliquid exigi ultra fortem, ob periculum amittendi fortem. f. 203. n. 415.

Quintus titulus est Pactum Assurætionis, quo Mutuator in se recipit periculum transportationis pecuniae in alium locum remotum hac Lege, ut si pecunia securè eò pervenerit, debeat Mutuatarius pro 1000. v. g. solvere 60. Si verò perierit, percat mutuanti, & insuper teneatur aliam mutuo dare, & procurare ejus translationem. f. 204. n. 418.

Sextus titulus est Usus Provincie, qui habet, ut absque recurfu ad alios titulos solvantur quinqs annuatim pro centum, quod pactum à Republica ex alio

V.

ex alto dominio justificatur, propter utilitatem quæ subest, si sit licitum, ut inveniantur qui velint indigentibus mutuum dare. f. 205. n. 421.

Pignoris fructus à Creditore percepti, computantur in partem solutionis, tam de Jure naturæ quam de positivo. f. 206. n. 423. & seqq. Si ex pignoris fructibus Usuras solvat, quod reliquum est, vel in fortis solutionem computandum est, vel debitori restituendum. f. eod. n. 426.

Non esset Usura si Venditor in re vendita retineret sibi Usumfructum donec pretium solveretur. f. 207. n. 428. Neque etiam est Usura, si maritus fructus retineat ex rebus oppignoratis loco dotis. n. 431.

Uxor mortuo marito qui percipiebat dictos fructus, potest perceptionem continuare, quandiu dos non solvitur. Item mortuà uxore possit maritus filiorum nomine eandem continuare. f. 209. n. 434.

Pactum Legis Commissoriae, hoc est, ut si debitum ex mutuo non solvatur statuto tempore, pignus pertinet ad Creditorem, utroque Jure reprobatum tanquam pallium usuræ. Si tamen contractus haberet naturam emptionis, & servaretur justum pretium, valeret. f. 209. n. 436. Nisi esset alius Emptor qui plus solvere vellet pro pignore, quam Creditori deberetur. n. 437.

Usura dividitur in Realem & Mentalem. Realis est, quando pactum intercedit, quo petitur aliquid ultra fortem non ex ullo titulo approbato. Mentalis est, quæ licet prodeat in actum externum dando mutuum, & accipiendo lucrum ultra fortem, exteriùs tamen non explicatur animus interius accipiendi lucrum. Quod si adfuit quidem animus accipiendi, sed reipsa actus externus non est secutus, Juridicè loquendo non est Usura mentalis obnoxia penis. f. 211. n. 445. Si speretur aliquid à Mutuatario, & non tanquam pretium, non est usura. eod.

Si Mutuatarius per errorem dat aliquid tanquam pretium, & mutuans accipit bonè fide ut liberale donum, non tenetur restituere nisi in quantum est factus locupletior. Econtra si detur ut liberale donum, exteriùs mutuans accepisset ut pretium, non teneatur restituere. f. 212. n. 447.

Pactum obligans ad desistendum ab Actione injuriarum, vindicta, vel accusatione, est Usurarium, si subest justa causa instituendi, & accedat mutuo. f. 212. n. 448.

Pactum de conferendo Beneficio mutuanti præ alio, quod alicui conferre tenetur, si tenderet solum ad excludendum indignum, non esset usurarium, secus, esset. eod.

Pactum mutuandi pecuniam, si alter mutuet vinum, non est usurarium, si solum ut conditio, non ut pretium exigatur. f. eod. n. 449.

Pactum de præstando, quod mutuatario nullum affert incommodum, non est usurarium. eod.

Non esset Pactum usurarium quo quis per circuitum pretium fidejussionis lucraretur: esset ta-

imen injustitia, si nullum subest periculum in indejussio ne. f. 213. n. 450.

Pactum usurarium esset de restituendo mutuo in loco, ubi plus valet, nisi hoc fieret in commodum mutuatarij. f. eod. nu. 451. item esset usurarium, si ob aliquid commodum obligaretur Mutuatarius non solvere nisi elapso certo tempore. eod.

Usurarius tenetur in conscientia restituere usuras illicite acceptas. f. eod. n. 452.

Si Mutuatarius habet animum absolutum, & non ex errore, putans se debere, sed quia vult satisfacere fidelitatis, promissæque transferre dominium, quamvis non obligetur ex Justitia, trans fert tamen dominium rei Usurariæ. f. eod. n. 453. Unde Usurarius non tenetur restituere nisi illos fructus, quos Mutuatarius percepturus fuisse. f. 214. n. 455. Competit tamen Mutuatario Jus rescindendi contractum, & sic recuperandi dominium rei Usurariæ. Quod si hoc negligeret, alij Creditores privilegiati & hypothecarij præferrentur in tali rei ipsi Mutuatario. n. 457.

Contractus Mutui Usurarij non est penitus nullus, ob varia inconyentia quæ nascerentur, sed valet in ratione Mutui, ne utile per inutile vitietur. f. 215. n. 458. & seqq.

Si res per Usuram accepta non amplius exstet, nihilominus Hæres ex alijs bonis hæreditarijs satisfacere tenetur Mutuatario, sicut alijs Creditoribus. Nullo tamen Jure tenetur ultra vires hereditatis, nisi neglexerit Inventarium. f. 216. n. 461. Deficiente uno Hærede post factam hæreditatis divisionem, pars ab illo solvenda non accrescit cæteris. n. 464.

Pœna Usurariorum sunt variae. 1. Sunt activè intestabiles Jure Canonico. 2. Privantur Ecclesiastica sepultura. f. 217. n. 466. 3. Sunt Irregularitates. 4. Clericus est ab Officio & Beneficio removendus. 5. Denegatur Eucharistia, & oblationes reiciuntur. 6. Sunt infames. 7. Confiscatur fors, vel quarta pars illius. n. 466. Ut autem incurrat pœnas Canonicas, debet Usurarius esse manifestus. eod.

Tomo 2.

Usurarij Notorij Testamentum reprobatum, nisi cautionem satisfactionis præstiterit. f. 50. nu. 226.

Vusfructus. Vusfructuarius.

Tomo 1.

Vusfructus est jus alienè re utendi fruendi salsvâ illius substantiâ. f. 219. nu. 79. & seqq. ubi declaratur differentia ab alijs familiaribus juribus.

Ususfructus duobus legatus pro annis æternis, uno ex illis legatarijs deficiente, alteri nõ accrescit, Si in eodem testamento uni sub conditione legatur, & pendente conditione, legatur ab hærede alteri, & deinde conditione postea prior ususfructum acquirit, sed iterum amittit, non revertitur ad illum, cui ab hærede purè legatus erat. Si in eodem testa-

mento

mento diversis à diversis hæredibus legatur, non accedit alteri altero deficiente. f. 231. n. 85.

Si legatarij in Usufructu conjuncti sunt, est jus accedendi etiam si verbis tantum conjuncti sint. f. eod. n. 86.

Si uni legetur Usufructus omnium bonorum, alteri verò ususfructus ceteri fundi, prior non concurret cum posteriore, sicut concurreret, si posteriori fundus esset legatus. fol. 232. n. 89.

Hæres ex assè scriptus non concurret in Usufructu cum legatario ususfructus. eod.

Fundo duobus conjunctim legato, & usufructu alteri legato, conjuncti reputantur una persona, & consequuntur semissem. defuncto deinde uno ex conjunctis, portio illi accrescet soli conjuncto, quia re & verbis conjunctus est. f. eod. n. 90.

Commoda & Emolumenta Ususfructus ad quatuor genera reducuntur, quæ sunt: Possessio, Fructuum perceptio, Adminicula. Actiones pro usufructu introductæ. Possessio non convenit usufructuario proprio nomine, sed nomine proprietarij. fol. 232. num. 91. Adminiculorum nomine veniunt omnia illa, sine quibus rectè uti frui non possent. 92.

Fructuum percipiendorum nomine non solum illa veniunt, quæ proprie fructus sunt, ut partus pecorum, frumentum, vinum, oleum, &c. sed etiam quæ aliam obventionis utilitatem habent, ut sunt redditus &c. fol. 233. n. 92. Inter fructus tamen non est Insula iuxta fundum nata. 93. Bene tamen laudemium, solvendum ratione Emphyteus à novo Emphyteuta. 94.

In sylvâ cadua potest Usufructuarius cadere, & ligna caesa ad libitum distrahere, modo non excedat arbitrium boni viri in cadendo, sed eo modo cadat, quo ipse paterfamilias prius solitus erat, nisi per accidens impediretur. f. eod. n. 95. Ex sylvâ non cadua fructuarius non nisi pedamenta, & ramos ad vineæ usum cadere potest. in locum demortuarum arborum alias substituere debet, & emortua ad ipsum pertinent: pro evulsis non tenetur alias substituere, & potest illis uti ad ædium refectionem. 96.

Commoditatem ususfructus, de jure communi, potest vendere cui voluerit. secus Jure Bavarico, quo debet præferre dominum proprietatis, sicut emphyteuta. f. eod. n. 97.

Fructus, qui non factio hominis, sed naturâ separantur, statim sunt Usufructuarij, qui verò factio hominis opus habent, per se loquendo, hi ut per separationem fiant fructuarij, debent vel ab ipso met, vel ab alio ejus nomine separari, & quando maturi sunt, habet jus separandi, & sit dominus, antequam in horrea reponat. Fructus, qui deiderunt, sunt domini, sed tamen fructuarius eos colligendo suos facit. Quod si eos dominus colligit, habet electionem, ut vel eos restituat Fructuario, vel estimationem. Contra furem habet Fructuarius actionem furti, non tamen conditionem furtivam. & si fructus recuperat, suos facit. fol. 233. num. 98.

T.

Fructus ultimo vitæ aho percepti, non sunt cum proprietario pro rata temporis dividendi, sed integre ad Hæredes Fructuarij spectant. f. 234. n. 100. & seq.

Usufructuarius varia habet onera. Et in primis tenetur reparare res vitium contrahentes, facta recta conservare, fundum colere, arbores emortuas (non item evulsas) substituendo reparare, uti servitutibus realibus, si quæ fundo debentur: interrumpere præscriptionem, & universim tenetur levem culpam præstare, sicut alius paterfamilias cavere solet. f. 235. n. 103. Gregis vel armenti capitibus demortuis, tenetur ex agnatis, si qua sunt, alia substituere. 104.

Non licet Usufructuario adificium antè inchoatum perficere, quia hoc esset mutare formam. fol. eod. num. 105. & seq.

Expensas non modicas si facit, eas repetit actione negotiorum gestorum. n. 106.

Usufructuarius tenetur præstare annua Legata, si illi ususfructus omnium bonorum legatus est. ad alia debita solvenda non tenetur, sed Hæres ea deducit ex bonis. fol. 235. n. 107. In deducendis debitis ita procedit Hæres. Primò, fructus si qui existant in hæreditate, convertit in solutionem debitorum, qui si non sufficiunt, mobilia, denique immobilia vendit: residuum ad Usufructuarium pertinet, salva Falcidia. In solutione Annuorum Legatorum Usufructuarius æstimat ex una parte proprietatem omnium bonorum: ex altera parte fructus, qui uno anno, deductis sumptibus, percipi possunt: deinde init computationem annuorum, (de qua in v. *Æras*) ita tamen, ut nunquam amplius quàm 30. annorum computatio fiat. quod si horum annorum fructus proprietatis æstimationem ita excedat, ut Hæres legitimam portionem habiturus non sit, tunc quarta Falcidiæ detrahetur, & cavebit Hæres, quod si Fructuarius citius moriatur, quàm anni fuerit computati, velit restituere, quod amplius confectus est. contra Fructuarius cavebit hæredi, se plus Falcidiæ nomine præstiturum, si 30. annorum spatium excesserit. fol. 236. n. 108.

Usufructuario præstanda est Cautio, quod velit uti arbitrio boni viri, & finito usufructu restituere, exceptis sequentibus. 1. Paterfamilias in adventitij filij. 2. Excepto eo, cui ususfructus absolute, proprietatis ex die legata est. & hi nec Inventarium facere tenentur. fol. eod. num. 109. Potest quidem Testator remittere Inventarij confessionem, sed non cautionem. 110. & seq. Fructus percepti ante præstitam cautionem non sunt Fructuarij. 112. Cautio debet esse fidejussoria vel pignoratitia. Quodsi neutra possibilis est, Hæres vel proprietarius rem fructuariam penes se retinet, & Fructuario certam quantitatem solvit, & de hoc cavet. fol. 237. num. 114. & seq.

Si Fructuarius non servaverit cautum de faciendò vel non faciendò, statim committitur stipulatio. si verò non servaverit cautum de restituendo, committi-

V.

committitur stipulatio finito Usufructu. fol. eod. num. 116.

Usufructus extinguitur & cum proprietate consolidatur adventu dicit, in quem constitutus erat. f. 237. n. 117. Et qui committere constituitur ad tempus vitæ, extinguitur morte Fructuarij. Nam si concessus est, ut ad Hæredes transeat, est novus Usufructus, ad primos tantum Hæredes pertinet. f. eod. n. 118.

Usufructus constitutus persona sicca, quæ non moritur, durat 100. annis. f. 238. n. 119.

Usufructus etiam extinguitur mediâ & maximâ capitis diminutione. Quod pertinet Professio in Religione successione incapaci, quâ factâ consolidatur cum proprietate. fol. 238. n. 120.

Non extinguitur tamen Usufructus per Professionem in Religione successione capaci, sed durat ad tempus vitæ professi Usufructuarij, quod etiam verum est, quando pater proficitur habens Usufructum in bonis filij. n. 121. & f. 239.

Extinguitur etiam Usufructus destructione rei tantâ, ut non amplius veniat sub eo nomine, quo Usufructus erat constitutus. f. 239. n. 126. ubi exempla. Jure Bavarico etiam amittitur per rei deteriorationem. 127.

Denique extinguitur confusione cum proprietate, quando Fructuarius acquirit Jus proprietatis. eod.

Quamvis Usufructus proprie dictus constitui debeat in rebus, quæ ipso usu non absumuntur, permittunt tamen leges etiam in illis, quæ ipso usu absumuntur, constitui quasi usufructum. f. 240. n. 128. Inter hæc sunt etiam vestes viliores, quæ facile aucteruntur. 129.

Quasi Usufructus potest tam ultimis Voluntatibus, quàm inter vivos constitui, & differt à mutuo, quod non possit, sicut mutuum, revocari. fol. eod. n. 130.

Differt etiam ab Usufructu stricto, quod ætialis cautio non sit de illius substantia, bene tamen Jus petendi cautionem, & ætialis cautio solum conditionatè se peratur. f. eod. 132. & seq. Cujus cautionis finis est, ut fructuarius finito usufructu restituat non quidem easdè res in individuo, sed ejusdem generis, bonitatis, & qualitaris. eod. nu. 134.

In hoc Usufructu transfertur dominium, & periculum ad fructuarium pertinet. f. & n. eod.

Usufructus nunquam præscribitur sine titulo tempore Ordinario. f. 442. n. 228. & f. 457. n. 315.

Tomo 2.

In Usufructu solo, vel in sola proprietate non potest constitui Legitima, sed filius pro rata Legi-

tima haberet proprietatem, & insuper in ceteris etiam bonis Ususfructum, si cohæres extraneus datus est, secus si fratres aut sorores. f. 116. n. 523.

Usufructuarius universalis tenetur conficere Inventarium exigente proprietario, alioquin præsumitur dolus. f. 154. n. 664.

Usufructus quomodo possit oppignorari, vide Pignus.

Vfus. Servitus Personalis.

Tomo 1.

Ufus, sumptus pro servitute, est Jus Utendi tantum, & non Fruendi, re alienâ, salva illius Substantiâ. Unde nulli fructus ad hæredes transmittuntur. Qui pecora habet in Ufu, potest inde hercorare agros, laudè verò non nisi modico uti. Constituitur & finitur isdem modis, quibus Usufructus. f. 241. n. 135.

Ufus prout habens separatam servitutis naturâ, non est cum Usufructu conjunctus, semper tamen quoad utilitatem, & in effectu inest Usufructui. Unde si uni Usufructus, alteri Ufus Legatus sit, uterque utetur, sed Fructuarius insuper fruetur. f. eod. n. 136. & seq.

Ufu ædium concessio, potest Usuarius illas inhabitare cum uxore, liberis, famulis, & tota familia, nurus etiam cum socio, & contra, quilibet cum parentibus, agnatis & affinis. Inquinum etiam admittere non prohibetur, sed scotim locare non potest, sicut potest Usufructuarius. fol. 242. n. 138.

Ufu in fundo constituto, potest Usuarius ex fructibus natis accipere, quantum in annum sufficit. In usu pecorum veniunt opera, non item fructus, quò nequidem uti potest, sicut nec lanâ. Ex laudè non licet illi conficere butyrum, caseum, &c. eod.

Ufus irrevocabilis & independens in rebus ipso usu consumptibilibus concessus, non potest separari à dominio earundem rerum, sed est ipsum dominium. f. 242. n. 141.

Ufus tamen revocabilis ad nutum concedentis, potest à dominio separari, & est separatus. fol. 243. Hujusmodi habent RR. PP. Franciscani. n. seqq.

Urhæda.

Tomo 6.

Est cautio juratoria, præstita à Reo carceribus relaxato, de non ulciscendo, quæ à Judice ritè acta sunt. f. 305. n. 467.

Vulneratio.

Ad quam restitutionem teneatur vulnerans, vide, Homicidium.

F I N I S .

